

D. D.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE

NATURA

ET

CONSTITUTIONE

PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ,

CUJUS

PARTEM PRIOREM

*Cum consensu Ampl. Facult. Philosopb. in Reg. Acad.
Aboënsi,*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL,

Eloquentiæ PROFESS. Reg. & Ordin.

Publico examini submittit

GABRIEL KROGIUS,

WIBURGENSIS,

Die XXI. Novembr. Anni MDCCLIII.

L. H. Q. S.

ABOÆ, impressit Direct. & Typogr. Reg. Mag. Duc. Finland.

JACOB MERCKELL.

VIRO

Amo dum Reverendo atque Præclarissimo,

**D^N. P A U L O
K R O G I O,**

*Præposito & Pastori Ecclesiæ, quæ Deo in Piexämäki &
Haukivuori colligitur, Dignissimo, Meritissimo,
PARENTI INDULGENTISSIMO.*

*S*I cuiquam alii, certe Tibi, Pater Optime, ratio jam reddenda erit temporis, ad Academiam ultra octennium transacti. Præterquam enim quod vitam, & quæ babeam, omnia post Deum Tibi accepta referam, tot tantaque paternæ Tuæ benivolentiæ & favoris inde ab ipsis cunis in me semper exsistere documenta, quot & quanta a patre unquam in filium proficisci possunt. Nec ullus adhuc præteriit dies, ne dicam mementum, quo non novum amoris Tui intensissimi iudicium expertus fuerim. Cura Tua de salute mea exsistit maxima; & quidem major, quam optare potuerim. Neque impensis pepercisti, sed ut bene mihi esset, ad abundantiam usque fuisti liberalis. Tua in me tanta sunt beneficia, ut ne his recensendis, nedum laudibus condignis extollendis mea sufficiat facundia; quo magis iisdem vel aliquo modo compensandis me imparem esse deprehendo. Hac omnia necum volvens revolvensque obstupesco; quod enim Tibi, Pater Optime, jam debeo, grande illud & immensum esse facile intel-
ligo.

ligo. Sed juxta quoque refocillor & recreor; dum benivolentiae Tuæ maximæ, quæ omnia ad justam lancem examinare non patitur, memini & recordor. Tu, Pater Optime, semper omni in eo elaborasti contentione, ut ego viam seclarer virtutis. Igitur & hanc opellæ delegi materiem, quamvis juvenili ingenio difficiliorẽ, quæ Tibi sua se dignitate commendaret. Hæc quippe versatur in exponenda Scientiæ istius indole, quæ virtutum præstantiam ac suavitatem dulcissimam, pariter ac vitiorum pravitatem & turpitudinem horrendam ob oculos ponit. Gratulor igitur tibi occasionem, qua pietatem & reverentiam erga Patrem Optimum publice declarare liceat. Atque sic Tibi, Pater Amantissime offero primitias juventutis meæ in animi gratissimi signum & amoris flagrantissimi obsidem ac tesseram. Respicias has, humillimus & omni, qua decet filium reverentia, oro & obtestor, sereno vultu, & paterno, quo me semper soles affectu recipere. Meum erit ad Deum T. O. M. calidissima fundere vota, velit Is ætatem Tuam jam ingravescentem tranquillam & jucundam reddere, Teque omni felicitatis flore beare, & ad ultimos mortalitatis terminos salvum sospitemque conservare in Ecclesiæ suæ emolumentum, nostrumque omnium gaudium & solatium certissimum, optatissimum. Ita vovet & vovebit ad cineres usque

PATRIS INDULGENTISSIMI


*Obedientissimus filius,
GABRIEL KROGIUS.*

Crono-Befallningsmannen
Högachtade HERREN,
**Herr JOHAN WILHELM
MEINANDER,**
Min Høgtårade K. Swåger.

Naturen sielf har i ett riikt ock ymnigt mått framalfrat hwad som fordras til at giöra en människias lefnad fäll och lycksalig här i tiden; des häfwor äro doch til större delen sådane, at de äska ett anfenligt arbete och omkostnad, förän de af oss med fördel kunna nyttias och brukas. J hafwen, Min Broder, wiist på åtskilligt sätt, hwad en rätt hushällning förmår til at förädla och rätt använda de af Skaparen oss meddelte härliga förmåner. Wid bruks och andra för landets inwånare nyttiga tings intättning hafwen J ei låtit Eder möda wara spard. J hafwen jämwäl til Edra landsmäns nöge och efterdöme flere refor wiist, huru sumpige mossar och de ohyggeligaste marker skola förwandlas til mäst fruchtbärande åkrar och engar. Således hafwen J gjort Eder förtiänt af det almäna, och nöjet at bewisa allom godt har gjort Eder ällkad af hwar man. Jag, som jämwäl af Eder kärlek och ömhet för mitt wäl haft åtskilliga prof, betienar mig nu af detta tillfälle at ådaga lägga en uprichtig ihågkommelse af min förbindelse. Uptagen därföre, Min Broder, detta ringa pappers kram med samma sinne, som J altid ärtet mig, så är min önskan fulkommen och min längtan upfyld. Högsta Förfynen inneslute Eder altid i sin milda omwårdnad, och låte Edra dagar blifwa sålla samt wälmåga följa Eder til sena åhren! Önskar jag troget, som har den äran at förblifwa

Min Høgtårade K. Broders

hörsamste tjenare,
GAB. KROGIUS.



§. I.



Homo duabus constat partibus essentialibus arctissime inter se unitis, corpore scilicet organico & anima rationali. Quemadmodum corpus variis operationibus peragendis sua natura aptum est, adeoque variis præditum viribus, sic anima, licet ob simplicitatem suam non nisi unicam habeat vim, eandem tamen diversimode exercet, unde plures ei tribuuntur potentiaë seu facultates. Præsentia, quæ mutationem producunt in organis sensoriiis, *sensu* percipit; absentia olim percepta *imaginatur*; ideas imaginatione reproductas, combinando vel separando *figit*, ipsas vero recognoscendo *meminit & recordatur*. Ideas, quæ objecta, sub variis, quibus involvuntur, determinationibus repræsentant, adeoque confusæ sunt, accedente attentione reflexione & abstractione, in distinctas convertit *intellectus*. Res ipsas comparat, harumque similitudines observat *ingenium*; unum de altero affirmat vel negat *judicium*.

ciam. Nexum rerum intuetur *ratio*, quæ, quod rebus distincte cognitis involvitur & cum iis quocunque modo connectitur, perspicit. Ulterius vero ad mentis nostræ naturam attendentes, facile animadvertimus, bonum omne præsens seu impetratum, *voluptatem*; absens vero *desiderium*; uti malum præsens *tædium*; absens, quod præsens fieri potest, *metum* in ipsa excitare. Dum autem bona vel mala ista ad nos ipsos refert anima, eadem confuse tantum cognita appetit vel averfatur *appetitu sensitivo seu inferiori*: uti bona distincte cognita appetit, mala vero distincte cognita averfatur *appetitu superiori seu rationali*, qui & *voluntatis* nomine venire solet. Appetitus & averfationes vehementiores, quæ motu fluidorum extraordinario se prodere solent, *affectus* dicuntur qui aut *grati* seu *jucundi*, aut *ingrati* seu *molesti* sunt, prout in dominio vel voluptatis & desiderii, vel tædii & metus consistunt. Deprehendimus præterea in nobis *stimulos seu instinctus naturales*, qui sæpius ad agendum nos concitant; quales sunt amor nostri, desiderium felicitatis, studium conservandi nos ipsos & defendendi vitam membraque corporis, instinctus edendi & bibendi, stimulus libidinis, curiositatis, imitandi alios &c. &c. Nec forte ullum datur officium, cui non respondeat stimulus aliquis naturalis. Instinctus hi, quemadmodum etiam affectus in se boni sunt, & ad præclara quævis, nisi in transvorsum rapiantur, nos incitant; inserviunt quippe conservacioni, felicitati obtinendæ, indagando vero & superandis difficultatibus. Atque ut his

recte

recte uti possimus, accedere debet cultura & usus rationis, quo sic arte & disciplina perficiatur natura.

§. II.

Singulas has animæ facultates uberius explicat Psychologia, unde hæc tantum generatim in præsentibus nobis fuere adducenda. Ex dictis vero constat, has ipsas potentias seu facultates ad duas generales commode posse revocari: *facultatem* nimirum *cognoscitivam*, qua res percipit, seu notiones & ideas sibi format anima, & *appetitivam*, qua sese ad objecta percepta inclinatur vel ab iisdem reclinat; prout hæc vel ut bona vel mala eidem sistuntur. Et quum res vel distincte vel confuse cognoscere possit, easdemque pro ratione utriusque perceptionis vel appetere vel averfari, hinc utraque facultas & cognoscitiva & appetitiva in *superiorem* & *inferiorem* recte dispescitur.

§. III.

Quoniam nihil sine ratione concipi possit, mutationum quoque corporis & animæ determinatrices dantur rationes, quæ in Mechanica & Psychologia explicantur, atque ex disciplinarum illarum dependent principiis; corporis namque mutationes actionesque omnes legibus subjiciuntur Mechanicis, uti operationes animæ legibus Psychologicis diriguntur. In specie facultatem cognoscitivam dirigit Logica, appetitivam vero Philosophia Moralis; unde omnes in universum operationes hominis legibus substat *Mechanico-*

nico-Logico-Moralibus pronò fuit alveo. De legibus moralibus heic agere nostri est instituti.

§. IV.

A Nima vel ex intima sui conscientia ideas evoluit, quas *innatas* dicunt, vel mediantibus sensibus externis rerum notiones acquirit, atque ex his porro judicia format & ratiocinia. Eam vero simul servat indolem, ut ad objecta repræsentata sese neque inclinet, neque ab iisdem reclinet, nisi pro ratione boni vel mali in iis percepti. Hinc nondum posita boni malive repræsentatione, in statu *indifferentie* permanet, quo nihil appetit vel averfatur. Lex igitur appetitus generalis hæc est: Quidquid nobis tamquam bonum repræsentamus, id appetimus, & quidquid nobis ut malum sistitur, id averfamur; nihilque appetimus nisi sub ratione boni, neque averfamur nisi sub ratione mali § 2. Sub data igitur hypothesis, appetitus & averfatio in nostra non sunt potestate sed per vim animæ intrinsicam determinantur, adeoque animæ naturales sunt; quatenus vero perceptio, appetitum vel averfationem determinans a nobis dependet, eatenus quoque actus hi in nostra potestate sunt. Et cum posita perceptione boni vel mali, ponatur appetitus vel averfatio, hinc simul intelligitur facultatem appetitivam per cognoscitivam determinari.

§. V.

R Ationes determinantes appetitum vel averfationem

nem *motiva* in genere dicuntur; quæ adeoque sunt repræsentationes boni vel mali mentem flectentes §. 4. Si repræsentationes illæ fuerint confusæ, facultati appetitivæ inferiori, uti si distinctæ fuerint, superiori seu voluntati *motiva* præbent. Cum vero ex *motivis* semper agat anima §. 4. nulla vi ad appetendum vel averfandum cogi potest; nulla enim vis *motiva* immutare vel efficere, ut quæ bona judicamus, mala simul habeamus, ullo modo potest. Et quum per vim animæ intrinsecam seu facultatem cognoscitivam determinentur appetitus & averfatio §. 4. uti ab omni coactione immunis est, sic ipsi quoque competit spontaneitas; *sponte* enim agere dicimur, quidquid per principium intrinsecum agimus.

Ratio determinans voluntatem, seu id, ex quo intelligi potest, cur aliquid potius velimus quam non, stricte philosophis *motivi* nomine venire solet. Unde sine *motivis* (nimirum stricte sic dictis) agere dicuntur, qui repræsentationes confusas & appetitum sensitivum sequuntur, atque sic bona apparentia veris subinde præferunt.

§. VI.

ANima voluntatem exercitura I:mo notionem objecti distinctam format. II:do Ex formata notionem confectaria, quæ objecti perfectionem aut imperfectionem producit, deducit. III:tio Illa confectaria ad se statumque suum refert, quo sic, an illud

lud bonum sibi aut malum fit, deprehendat. **Ex** pluribus vero possibilibus potest id velle, quod maxime placet, seu in quo maximam percipit perfectionem, id vero nolle, quod minorem involvit perfectionem; potest adeoque unum præ altero lubenter & motivis convenienter eligere. Neque motiva ullam ipsi inferunt necessitatem; non enim actionis tollunt contingentiam, reddendo actionem oppositam impossibilem: quin & ipsa, uti intendi & remitti, sic & penitus immutari possunt. Competit igitur animæ libertas sive facultas ex prævia consultatione sponte sese determinandi ad agendum vel non agendum, agendum hoc vel alio modo; quæ adeoque nihil aliud involvit, quam facultatem eligendi optimum seu agendi motivis distincte cognitis convenienter. Est hæc palmaria voluntatis affectio, ex qua omnis actionum nostrarum dependet moralitas & impurabilitas. Ut vero plenius ipsius indoles intelligatur, tria libertatis requisita recte constituuntur. Immo *Contingentia actionis & activitatis*, h. e. ut plures actiones & objective vel in se, & subjective vel respectu agentis sint possibles. II:do *Intelligentia*, qua contingentia illa actionum & agendi modorum perspicitur, simulque motiva pro qualibet parte ponderantur. Et III:o denique *spontaneitas* §. 5.

§. VII.

EX hæcenus explicatis sequitur, duo actionum nostrarum genera poni posse. Vel enim a libertate

te nostra dependent, adeoque prælucente intellectu & decernente voluntate suscipiuntur, atque hinc *libera* dicuntur; vel per essentiam & naturam nostram citra ullam deliberationem determinantur, unde *naturales* sive necessariae audiunt. Quæ actionum genera & in corpore & in anima locum habere communis docet experientia. Ab actionibus voluntariis distingvendæ sunt *invitæ*, utpote a sciente & volente non susceptæ. Hæ tales sunt, vel per *coactionem simplicem* sive externam irresistibilem; vel per *coactionem secundum quid talem* seu violentiam, quando quis ex pluribus malis eligit minimum, sive ex metu majoris mali evitandi agit: vel denique per *ignorantiam aut errorem*.

§. VIII.

Morale dicitur a moribus, seu actionibus liberis ad certam agendi rationem attemperatis. Quemadmodum igitur *status* in genere est collectio determinationum entis, seu coexistentia mutabilium cum iis, quæ rei constanter insunt; sic status hominis moralis actionibus ejus liberis atque ex iis pendentibus determinationibus constituitur, *Natura vero moralis* dicitur, quæ libertatem certis legibus dirigendam sua idea includit. Humana igitur natura, quatenus voluntatem liberam naturaliter ad bonum determinatam involvit §. 1. 6. moralis est. Atque hinc est, quod homo exlex concipi nequeat; qui enim sic & aliter agere potest, certis dirigatur rationibus, necesse est:
neque

neque nisi positis agendi regulis, quid in quolibet casu bonum, quidve malum, adeoque quid agendum vel omittendum sit, constare potest. Et qui præterea varios naturæ corruptæ defectus, vitia nimirum intellectus & voluntatis, unde summa judiciorum diversitas, inclinationum & propensionum varietas, sæpiusque affectuum impetus & variæ appetituum pugnae oriuntur, attentius consideraverit, ut taceamus plurima vel educationis vitio, vel per consuetudines contracta mala, legum necessitatem facile deprehendet.

§. IX.

Perfectio est consensus plurium ad idem. Quidquid perfectionem involvit, id *bonum* in genere dicitur. *Respectu nostri bonum* est: quidquid nos statumque nostrum perficit; *malum* vero, quod nos quocunque modo reddit imperfectiores. Attendentes ad actiones nostras liberas, deprehendimus illas varias producere mutationes, variaque ex iis oriri consecutaria, quibus status noster sive internus sive externus quocunque modo variatur. Hæ ipsæ ab actionibus tamquam effectus ex sua causa dependentes, cum scopo essentia & naturæ agentis vel consentiunt vel ab eodem dissentiunt, adeoque statum agentis vel perfectiorem vel imperfectiorem reddunt, atque hinc vel bonæ vel malæ sunt. Sic actionibus competit *moralitas* h. e. bonitas vel pravitas; *intrinseca seu objectiva*, quæ per ipsam earum essentiam seu notionem determinatur, posita essentia & natura agentis;

tis; adeoque ab ipsis simul inseparabilis est; quid-
 quid enim ab essentia sequitur, non potest non ne-
 cessarium esse & immutabile. Ceterum cum actio-
 nes in abstracto heic considerari non debeant, sed
 in relatione ad agentem & in nexu cum ipsa a-
 gentis natura: universa vero rerum natura contin-
 gens & a libera Dei voluntate dependens sit; facile
 intelligitur Deum hac posita natura, ipsam etiam il-
 lam actionum voluisse moralitatem; unde *extrinseca*
 vel *subjectiva* ipsis simul competit moralitas. Prin-
 cipium igitur moralitatis actionum, non est sola i-
 psarum essentia & natura, sed simul & primario sum-
 ma Dei voluntas, quæ hanc constituendo naturam,
 hanc induxit actionum ad ipsos agentes relationem,
 non vero aliam. Atque hinc patet, controversiam
 de moralitate actionum objectiva & subjectiva in
 logomachiam abire; quum non sit mere objectiva,
 nec mere subjectiva, omnibus rationibus objectivis
 destituta, quasi sine prævia rerum cognitione volendo
 solum moralitatem actionibus impolisset Deus.

§. X.

LEX in genere est norma seu regula, cui actiones
 liberas conformare obligamur. Involvit adeo-
 que *I:mo normam seu regulam*, quæ determinat quid
 fieri vel non fieri debeat, atque *II:o obligationem*,
 quæ necessitatem moralem infert agendi ex præscri-
 pto legis. Quemadmodum igitur *passive sumpta ob-*
 B ligatio

ligatio, in necessitate agendi morali ponitur; sic *active* spectata nihil aliud est, quam connexio motivorum cum actione. Cum adeoque motiva sint præsentationes boni vel mali §. 5. is alterum obligat, qui bona vel mala cum actione ejus conjungit, seu id efficit, ut actionem ipsius comitentur bonæ vel malæ consequentiæ. Bonum, quod lex cum actione connectit *præmium*, malum vero *pæna* dicitur. Qui ergo jure gaudet præcipiendi, & præmiis eliciendi præsertim vero pænis extorquendi obsequium, is legem quoque ferre posse censendus est. Nam per sanctionem pænalem, quæ superiorem obligandi jure instructum supponit, lex a consilio distinguitur.

§. XI.

QUum jam obligatio sit connexio motivorum cum actione §. præced. bona vero vel mala, quæ motiva agentibus ratione & libertate præditis, exhibent §. 5. 4. vel per ipsam naturam cum actionibus connectantur, vel per arbitrium alicujus superioris, sequitur hinc obligationem recte dividi in *naturalem* & *positivam*. *Illa* ipsa natura constituta est, & in moralitate actionum objectiva fundatur, *hæc* vero ab arbitrio superioris dependet Hinc dum imperans justa & naturaliter honesta præcipit, obligatio naturalis per positivam intenditur, uti, si contraria a subditis exigit, obligationi naturali repugnat positiva.

§. XII.

§. XII.

ATque hinc *lex* omnis, quatenus obligandi vim habet vel a Deo, vel ab hominibus, *Divina* vel *humana* est. *Lex* Divina porro vel *revelata* est, vel *naturalis*. *Illā* per revelationem Divinam specialem innotescit, *hęc* in ipsa natura manifestata est. De lege Divina revelata, hujusque divisione in moralem, ceremonialem & forensē agere Theologorum est. Quod attinet leges Divinas positivas universales, de quibus multum discrepant Juris Naturalis Doctores, illæ uti ceteræ leges Divinæ revelatæ morales in ipsa natura universali fundatæ sunt; quum vero exinde ob rationis imbecillitatem difficulter derivari possint, ex revelatione earum petenda est notitia.

§. XIII.

DAri vero legem Divinam naturalem, seu voluntatem Divinam in natura manifestatam, cui actiones liberas conformare obligamur, ex dictis facile colligitur. Placuit nimirum Deo T. O. M. a quo omnia & quoad essentiam & existentiam dependent, cui adeoque maximum in omnes competit jus, ut natura humana moralis esset; utque sic, homo intellectu ratione & voluntate libera præditus, quid bonum, quidve malum sit perspicere, illud naturaliter appetere, hoc averfari possit §. 8. Libere vero constituta ipsa rerum natura, posuit simul actionum

cum ipsa convenientiam vel repugnantiam, adeoque moralitatem seu bonitatem & pravitatem ex ipsis actionum contestariis æstimandam §. 9. Voluit itaque per ipsam naturam non modo ductu rationis manifestare quid bonum, quidve malum sit, sed etiam nos obligare ad illa facienda, hæc vero omittenda, per motiva, bona scilicet vel mala cum actionibus connexa. Datur igitur voluntas Divina in natura manifestata, cui actiones liberas conformare obligamur, adeoque Lex Naturalis. Hinc ipse Apostolus Rom. II: 14. & 15. aperte satis asserit *gentes, que legem non habent, naturaliter ea, que legis sunt facere, atque ostendere opus legis inscriptum cordibus suis.* Et eleganter hanc in rem Cicero in oratione pro T. Ann. Milione. *Est igitur hæc, iudices, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, &c.*

§. XIV.

Hinc intelligitur Legem N. ope rationis innotescere, ratio enim nexum actionum cum natura & statu agentis perspicit. Igitur & hæc ipsa *dictamen rectæ rationis & vox naturæ*, audit; pariterque, conscientia pro iudicio de moralitate actionis sumpta, *lex conscientie* dicitur, uti ob accedentem auctoritatem Divinam *vox Dei* recte appellatur. Quamvis vero

vero leges hæ ope rationis sese prodant, non tamen ideo omnibus, sana ratione pollentibus, eodem modo innotescunt. Ratio enim sumitur vel pro facultate seu nuda potentia homini congenita, vel pro habitu, exercitio crebriori adquisito, nexum veritatum perspicendi. At ex illa potentia nondum adhuc in actum erumpente, nullam plane provenire cognitionem legum actualem, perspicuum est. Ipsa vero ad habitum deducta, legum pandit notitiam & quidem pro ratione facultatis ratiocinandi, iudicio muturescente, plus vel minus politæ & excultæ. Egregia præsertim hanc in rem sunt verba Puffendorffii in Compend. Jurispr. Univers. libr. II c. III. *Ut enim inquit potentia has leges cognoscendi nobis est ingenita, ita actualis cognitio etate matura & studio debito acquiritur, etsi non ab omnibus ita h. e. tam liquide, ut artificiosa deductione eas ex principio suo eruere possent, at tamen eatenus, ut aliorum demonstrationes capiant, earundemque veritatem, collata naturæ conditione liquido persficiant.* &c.

§. XV.

UT plenius intelligatur Legis Naturalis, quæ obiectum est Philosophiæ Practicæ, indoles & ratio, attributa ipsius paucis exhibere placet. Est nimirum Lex Naturalis Imo *Evidens*, quæ ex ipsa natura, rationis ope haud difficulter, saltem si generalia respicias præcepta, hauritur §. 14. *Il:do Universalis*

salis, quæ omnes in universum homines pariter obligat §. 13. III:io Sub hypothese sic, non vero aliter constitutæ naturæ, *necessaria æterna & immutabilis* est §. 9. unde ejus resultat *indispensabilitas*, simulque sequitur, quod nulli legi in collisione cedere possit. Est denique IV:io *adequata sive perfecta*; & quidem I:io *respectu regularum*; præcipit enim omne bonum & vetat omne malum §. 9. 13. quorum utrumque pro infinita casuum varietate determinat sana ratio. II:do *perfecta* est *ratione obligationis*, quæ Divina omnis est; adeoque præmia complectitur & pœnas, & quidem utraque proprie dicta.

§. XVI.

L Ex hæc præcipit omne bonum, vetat vero omne malum §. 15.; & quum bonum minus respectu majoris malum sit, urget semper id, quod optimum est. Hujus igitur custodia, nostra promovetur perfectio & felicitas, quemadmodum ipsius transgressione imperfectiores & infelices reddimur. Quum vero perfectio consensum in varietate inferat §. 9. lex hæc actionum liberarum omnium & inter se & cum naturalibus exactam requirit harmoniam & conspirationem; adeoque continuum & non interruptum progressum ad statum, qui obtineri potest perfectissimum, exigit: unde etiam rigor ejus est summus, quemadmodum semper incrementa capere

pere possunt entia limitata. Summa vero legis hujus hac continetur propositione: *Fac ea, que voluntati Divine convenire ex ipsa rerum natura ductu recte rationis colligere potes, omitte vero contraria* §. 12. 13. Atque ex generali hac regula reliquæ speciales sua sponte descendunt. Sic e. g. ex ordinatione Divina actiones naturales ad nostri tendere conservationem, cuilibet pervium est: per eundem igitur finem determinandæ quoque sunt liberæ. Facultates animæ naturaliter tendunt ad cognitionem veri & electionem boni, fac igitur ut cum fine operis consentiat finis operantis. Atque sic Lex Naturalis ex rerum natura, finibus & perpetua harmonia ita actiones determinat, ut omnem suam vim ad Deum referat, primam omnium causam.

§. XVII.

Legum naturalium doctrinam exhibet Jus Naturæ seu Jurisprudencia Naturalis, cujus naturam & indolem in sequentibus, si Deo visum fuerit, evolvere nobis est constitutum.

S. D. G.



Politissime atque Doctissime
Domine RESPONDENS!

Cicerone teste, vix quidquam datur, quod est optabilius sapientia, & proinde nihil praestantius, nihil homini melius, nihil homine dignius. Quid itaque mirandum, quod plurimi omni aëvo eos quovis honore sint profecuti, qui neque tadio laboris, neque difficultate investigandi, puta res divinas & humanas cognoscendi, semet a proposito absterri patiuntur. Quo enim difficilius veritas invenitur, eo majorem illi gloriam consequuntur, qui dedita opera non tantum eam exquirere aggrediuntur, verum ingenio omnia rimantur. TUAM vero, mi amicissime KROGI, pertentatam undiq; viam perveniendi ad solidam eruditionem, qua quæso laude digna præconioq; celebrabo? Offert locus valde oportunus se in laudes TUAS eundi, & quas in optimis studiis progressiones fecisti, TIBI congratulandi. Sed præterquam quod virtutibus, quæ in TE nativam certe sedem habent, nihil nostro præconio accedere possit, prohibet quoque singularis TUA modestia. Aliis igitur, quibus melior contigit svada, ingenii Tui felicitatem pari cum modestia conjunctam pro merito ornandi, locum relinquo. Mihi satis erit in pignus amicitia, quæ inter Parentes nostros per plures annos effluit, TIBI festa voce acclamare de dexteritate ingenii ista, qua mentis nostræ vigorem & veri bonique naturalem perspicientiam ejus exprimere voluisti. Ego vero, meo meorumque nomine fratrum gratulor Parentibus Filium vitæ & morum integritate præstantissimum, gratulor omnibus quocunque vinculo conjunctis consanguineum & amicum jucundissimum. De cetero macete! & per longam annorum seriem fructibus frueri uberrimis, quos industria TUA promeruisti, ego vero summi Numinis beneficio TIBI minime defuturos, auguror

Studiofissimus,
JOHANNES TANDEFELDT.